Sed iniquorum hominum eos muneribus corrumpi, nullo modo dici permittendum eſt: & ſi dicatur, omnino pro viribus refutandum. CLI. Præclarè dictum: & ſi agamus. ATH. Age igitur per deos ipſos, quónam modo placabiles fiunt, ſi quo pacto fiant: & qui & quales ſunt, ſi placantur? principes enim eſſe eos neceſſe eſt, qui totum cœlum perpetuò gubernaturi ſunt. CLI. Certè. ATH. Sed quibúſnam principibus ſimiles ſunt? quiue illis principes ſimiles, vt poſſibile nobis ſit minores maioribus comparare? Vtrum aurigæ aliqui certantium bigarũ tales ſunt? aut nauium gubernatores? Fortaſsè autem exercitum ducibus conferri poſſunt, vel medicis: qui bella morborum ab humanis corporibus arcẽt atque propulſant: aut agricolis inimicas orientibus ſtirpibus tempeſtates timentibus cauentibúſque, aut etiam gregum armentorúmq; paſtoribus, Nam cùm inter nos cõuenerit, multorum bonorũ, multorúmq; malorum, & quidem plurium, plenum eſſe cœlum, immortale aliquod bellũ, hoc eſt, & mirabili cuſtodia indiget. ſed opitulantur nobis dij ſimul & dęmones. Nos autem deorum dæmonúmq; poſſeſſio ſumus. Verum iniuſtitia & intemperãtia vnà cum imprudentia nos corrumpunt. Iuſtitia verò & temperantia cum prudentia, quæ in viribus deorum animatis inhabitant, ſalutem nobis afferunt. Exiguum autem aliquid horum habitare in nobis manifeſtè hinc licet conſpicere. Nam animę in terra quædam habitantes iniuſtæ & ferarum iuſtar atroces, aduerſus cuſtodum animas, canũ puta aut paſtorum, vel etiam præcipuorum omnium dominorum inſurgunt, verborúmq; lenociniis, gratiſque incantationibus perſuadent, vt ſententiam malorũ eſt, licere malè agendo inter homines ſibi plurima vſurpare, nec aliquam inde pœnam perſoluere. Hoc nos delictum, quo ad vſurpationem plurimum inhiatur, in corporibus animalium morbum vocamus, in anni temporibus peſtilentiam, in ciuitatibus rebúſq; publicis, commutato nomine, iniuſtitiam. CLI. Omnino. ATH. Neceſſe eſt igitur eum qui credit deos veniam hominibus iniuſtis præbere, ſiquis ipſis rapinæ partẽ tribuerit, dicere eos eſſe veluti canes quibus lupi particulam rapinæ concedant, & illi muneribus his placati, greges diripi patiantur. Nónne hic eorum ſermo eſt, qui placabiles eſſe deos prædicant? CLI. Hic certè. ATH. Sed quibus prædictorum cuſtodum deos aliquis conferens non omnium hominum ridiculoſiſſimus? Vtrum gubernatoribus, qui libatione vini atq; nidore carnium deuoluti, nauem ſimul nautáſque euertũt? CL. Minimè. ATH. Sed neq; aurigis, qui dum certant, corrupti muneribus, aduerſariorum curribus victoriam ipſam concedant. CLI. Non certè. *Turpis enim hæc in deos comparatio. ATHEN. Atqui nec imperatoribus, nec medicis, nec agricolis, nec paſtoribus ſimiliter perſuaſis, nec etiam canibus aſtutia luporum blandè ſeductis. CLI. Bona verba quæſo. Hæc enim audienda non ſunt. ATH. Nónne cuſtodum omnium maximi & in maximis rebus dij omnes? CLI. Ita prorſus. ATH. An optimarum rerum cuſtodes, & in virtute cuſtodiæ nimium excellentes deteriores eſſe dicemus, q̃ canes hominéſq; mediocres, qui nunquam muneribus ab iniuſtis hominibus impiè acceptis iuſtitiam, proderẽt. CL. Nequaquã hic impiorũ hominum ſermo ferẽdus eſt, & qui hac opinione laborat, impiorum omnium iure peſſimus & profaniſſimus iudicabitur. ATH. Tria igitur illa quæ propoſuimus, deos videlicet eſſe, omniúmq; curam habere, nec præter iuſtũ precibus vllis flecti poſſe, ſufficienter oſtẽdiſſe videmur. CLI. Certè, & his nos rationibus aſſentimus. ATHE. Vehemẽtius quodammodo propter improborum hominum controuerſias diximus. Sed hac de cauſa, ó amice Clinia, contentioſa vſi ſumus oratione, ne praui dicendo ſe viciſſe putantes, licentiam ſibi datam credãt faciendi quęcunq; velint, & qualiacunque aduerſus deos exiſtimẽt facienda. hac inquam de cauſa, noua quadam, & vehemẽtiori dicendi ratione vti voluimus. Quòd ſiquid ad perſuaſionem attulimus, vt iam velint mores ſuos odiſſe & contrarios complecti, probè nobis exordium legum de impietate dictum eſt. CLI. Speramus ita fore: ſin minus, at genus hoc orationis legũlatori dedecori non erit. ATH. Poſt exordium ſermo legũ interpres rectè ſequitur: qui impiis omnibus prædicet, vt à ſuis moribus ad pietatem ſeſe conuertant. Aduerſus eos autẽ qui non paruerint, lex iſta de impietate ponatur. Si quis impiè quicquã agit vel loquitur, qui fortè præſes fuerit, deos defendat, & magiſtratibus ſignificet. Quorũ qui primi audierint, ad harum rerum iudiciũ ſecundum leges deferant. Quòd ſi quis magiſtratus audierit neq; detulerit, ipſe impietatis reus fiat, & qui velit, pro vltione legum proſequatur. Et ſi quis cõdemnatus fuerit, iudices hunc pro ſingulis impiè commiſſis, ſingulis quibuſq; afficiant ſuppliciis. Carceribus quidem omnes coerceantur. Tres verò ſunt in ciuitate carceres. Vnus plurimis cõmunis in foro rerum venalium, vbi multi ne fugiant, cuſtodiuntur. Alter vbi cœtus eorum fit, qui nocte congregantur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione, vbi quam maximè deſertus ſylueſtríſq; locus eſt, ſupplicij nomine notatus. Tres quoq; impietatis, vt ſupra narrauimus, cauſæ ſunt. Cũq; in ſingulis huiuſmodi cauſis duo quædam proficiſcãtur, ſex erunt aduerſus deos genera peccatorum, quæ vt diiudicentur digna ſunt, nec æquali ſimiliq; pœna indigent: Nam alij quamuis deos eſſe non credant, tamẽ propter iuſtum aliquem naturæ affectum, malos oderũt, & odio quodam aduerſus iniuſtitiã moti ab iniuriis abſtinent: iniquos fugiunt, iuſtos homines diligunt. Alij verò ad hanc opinionem, quòd deorum præſentia deſtituta omnia ſint, proniores quoq; ad voluptates doloréſque ſunt, acumine etiam, & memoria pollent. Vtríſq; id eſt commune, vt eſſe dos negent. In hoc autẽ differunt, quòd cæteris hominibus ille minus, hic plus nocet. Ille quidem liberè aduerſus deos, ſacrificia, iuſiurandum obloquitur: atque ita alios deridendo, niſi puniatur, multos forſan ſibi ſimiles faciet. Hic verò eãdem habet opinionem, ſed acriori ingenio præditus vulgò putatur, dolóque & inſidiis plenus eſt. Ex iſtis multi ſortilegi fiunt, & ad omnem veneficij maleficiíq. genus prompti. Fiunt præterea ex iſtis nõnuquam tyranni, exercitum duces, cõcionatores, & qui ſolennitatibus priuatis inſidiantur, & qui homines captiunculis ſophiſtarum decipiunt. Horum profectò multæ quidẽ ſunt ſpecies, ſed legum poſitione dignæ duæ, quarum quæ diſſimulatione referta eſt, ſcelera parit non vna tantum morte vel duabus digna, ſed pluribus. Altera caſtigatione ſimul, & vinculis indiget. Similiter opinio qua dij negligentes exiſtimantur, duo gignit: & qua facilè votis muneribúſque placabiles, alia duo. Cùm ita impij diſtincti ſint, eos quidẽ qui nõ malis mor-

Dij quales ſint principes.

Impietatis generales.

moribus, ſed amẽtia quadã tales facti ſunt, in correctionis carcerẽ non minus quàm quinquenniũ permanſuros iudex coniiciat. Quo in tempore nullus cum ipſis ciuiũ colloquatur, præter eos qui nocturni cœtus participes ſunt: hi verò admonentes, ad ſalutem animæ collocantur. Cùm autem vinculorum tempus exactũ fuerit, qui modeſtior factus eſt, vnà cũ modeſtis habitet: quòd ſi rurſus impietatis crimine cõdemnabitur, morte plectatur. Sed ſunt nõnulli qui ad eam opinionem quòd dij ſint, vel negligentes vel placabiles ſint, immanes quoq; fiunt, hominéſq; deſpiciunt, & viuẽtes ad ſe multos alliciũt, attrahuntq;: necnon defunctos ſe trahere conſolariq; dicunt, profitentúrq; ſe deos ipſos cãtibus, ſacrificiis, votiſq; mulcere. Et hoc lenocinio conãtur idiotas, domos itẽ, & ciuitates vniuerſas pecuniarũ gratia perdere. Eorũ qui dãnatus fuerit in mediterraneis carceribus vinciatur, nec vllus liber vnquam ad eum accedat, ſed ſtatutũ ipſi à legũ cuſtodibus cibum ſerui afferant. Vita deniq; functũ, extra regionis fines inſepultũ eiiciant. Quem ſiquis liber ſepelierit, à volẽte impietatis crimine accuſetur. Quod ſi filios reliquerit ciuitati ſufficientes, orphanorum tutores horũ non minus q̃ reliquorũ, ab eo die quo damnatus fuerit, curam habeãt. Sed cõmunis de omnibus his lex iſta ponatur, quæ faciet vt multi minus verbo & re in deos peccẽt, & vt ab amentia reuocẽtur, ex eo quòd non licebit deos ſibi deorúmq; ſacra præter leges affingere. Sit autẽ lex huiuſmodi ſimpliciter cunctis impoſita. Sacella nemo in priuata domo habeat. Cùm verò animũ quis ad ſacrificandum induxerit, ad publica ſacrificaturus accedat, ac ſacerdotibus tũ viris, tum mulieribus, hoſtias præbeat, qui curã harũ rerũ caſtiſſimè gerunt. Quibúſcum & ipſe oret, & quicũq; cũ eo ſimul orare velit. Hæc ideò ita fiant, quia ſacella & deos inſtituere nõ facile eſt. Quippe magni ingenij eſt rectè rẽ iſtã facere. Solẽt autẽ mulieres præcipuè, ac imbecilliores, & in periculo conſtituti & indigentes vbicunq; quiſpiam indigeat, & cõtrà quãdo facultas rei alicuius affluit, quod adeſſe videtur ſemper conſecrare, hoſtiáq; vouere, & ſtaduas diis atq; dæmonibus & deorum filiis polliceri. Phãtaſmatibus cõmoti vigilantes, & in ſomniis ſimiliter multa ſe vidiſſe præ formidine recordati, vbi remedia ſingulis afferre conãtur, aris ſacelliſq; omnes domos viróſq; replerunt. Quorum omnium gratia lex iſta ponẽda eſt, ac præterea impiorũ cauſa, ne iſta ſibi operationibus vſurpantes, ſacella & aras ſuis in domibus ſtatuant, putẽntque deos clàm votis, ſacrificiiſq; placare: atq; ita in infinitũ ſuam iniuſtitiam augeãt, vnde tam ad ſe, quàm ad deos qui ipſis iſta permittũt: quãuis illis meliores ſint, indignationẽ deorum prouocẽt, quo pacto tota ciuitas iure quodámodo impietatis crimine teneatur. Legũ quidẽ latori deus minimè iraſcetur. Lex enim ſit, Sacella deorũ neminẽ in priuatis domibus poſſidere. Si vero quiſpiã habuiſſe, ſacrificaſſéq; alibi quã in publicis deprehendatur: qui ſenſit, ad legũ cuſtodes deferat. Ipſi autẽ ſi nihil magni ſceleris à fœmina ſiue à viro factũ ſit, ab publica tẽpla iubeãt priuata ſacra deferri: & ſi nõ illicò delata fuerint, mulctẽt, donec deferãtur. Siquis autẽ nõ puerilẽ, ſed nefariã impietatẽ cõmiſerit, ſiue in ſuis priuatim, ſiue in publico deorũ cultu ſacrificãdo deliquerit, morte vt impurè ſacrificãs cõdẽnetur. Puerile verò eſſe vel nõ, cuſtodes legũ iudicẽt, tractóſq; ita impios in iudiciũ, impietatis reos eſſe declarent.

Nemo ſacella in domo priuata habeat.

Templorum multitudinis cauſa.

DIALOGVS VNDECIMVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVMLATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

PLato noſter quemadmodum & philoſophorũ omnium ſapiẽtiſſimus, & eloquẽtiſſimus oratorum, ita iuriſconſultorũ omniũ prudentiſſimus, ne in contractibus cogeretur, vt ſolẽt cæteri, vaſtum legum interpretationúmque, & id quidem fruſtra, opus conficere, meritò antequã deſcenderet ad contractus, forẽſiaque comercia ſtuduit diſciplinis, legibus, iudiciis, religione ciues bonos efficere, ſperãs iuſtos homines, vel abſq; legibus ſpõte fidem & veritatem in omni commercio pręſtituros. Et profectò admodũ opportunè poſt leges de iudiciis pertinentibus ad perſonas leges iudiciorum ad res ſpectantiũ adducit in medium, quibus tam aduena quàm ciues diſcat iuſtè deponere, ſeruare depoſita atq; pacta: aliena non mouere, ſua cuique reddere: vti liberis, & libertis, & ſeruis: vendere, emere, reddere, ducere, militare, tueri pupillos, teſtari, teſtamenta ſeruare, hæreditates adminiſtrare, nuptias conciliare, diuortium facere, familiam gubernare: præ cæteris verò parentes religioſè vereri, nihil adulterare, veneficia odiſſe, iram inſaniámq; vitare: iurgia, cõtumelias, detractiones fugere, reſtituere damna, veritatẽ in teſtimoniis iuramentiſq; ſeruare. atq; hęc fermè eſt vndecimi huius libri materia. Poſt hæc autẽ, vt ſolemus, obſcuroria quædã arbitramur breuiter exponẽda. Principiò deam itineris geminã eſſe ſcito, indicatricẽ ſcilicet atq; ſeruatricẽ. Et illam quidem eſſe lucem ſub nomine Lunæ: hanc verò ſub Dianæ nomine fidẽ: & quicquid caſu quodam alienum in itinere repertũ eſt, deo eſſe dicandũ: vt agnoſcas fortunam proſperam eſſe ad dei prouidentiam referendam. Contemplare Platonicam bonitatẽ, videlicet vetantẽ in emendo atq; vendendo non ſolum rem adulterare, mentiri, peierare, ſed iurare etiam: imò verò & rem venalem laudare, & in eadẽ die pretium permutare. Vbi illud ediſce: Nemo diis inuocatis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo vel re quicquã audeat, niſi deo velit odio eſſe: cui quidem primum odio eſt, qui falſo iurans deos parui pendit: deinde qui corã maioribus ſe mẽtitur. Et vide iterum atque iterum quàm liberæ & integra Plato optet ingenia ciuium, à quibus omnem cauponãdi licentiam procul expellit. Addit quoque tum opulentiã, tum egeſtatẽ eſſe morbum ingeniorum. Inde enim inflatiores, hinc debiliores abiectioréſq; homines fieri. Vbi verò ait Palladem, Vulcanúmque, & Martem artibus præſidere, ex multis Platonis myſteriis alibi atque alibi traditis collige: Ioui ſummo mundi architecto trinitatẽ quandam numinum, quam opificiũ Platonicè nominamus, ſemper aſtare. In qua quidem trinitate prima ſit Pallas: ſecundus autem Vulcanus. Mars verò tertius. Sed quemadmodũ trinitas tota ad Iouem ipſum, à quo eſt, refertur: ita fermè Vulcanus & Mars referuntur ad Palladem. Mitto, nunc quod in Marte potentiam: in Pallade ſapientiã: in Vulcano igneum ſpiritum ſomniaſſe videtur. Tria certè ad ipſam Iouis artem qua vniuerſum perficit, requiruntur. Primum quidem ratio ipſa per quam ſingula ſit facturus. Secundum efficax eorum quæ ratione conceperat, expeditio. Tertium eorum quæ in effectu expediẽda ſunt, ſalus atque defenſio: Ideam primi Palladem, ſecũdi Vulcanum, tertiũ Matrem nominat. Et quia vtrunq; ſcilicet tam conſeruatio ſiue defenſio, quam expeditio vel expreſſio rerũ, indiget ratione atque ſapientia: ideò Pallas & Vulcano præeſt & Marti: & quicquid vel à Vulcano fabricatur, vel à Marte poſtquã fabricatum eſt, defendit, & in ſua forma ſeruatur, Pallade duce peragitur. Horum verò trium in arte diuina regnantiũ, tria quoque in natura videmus veſtigia: per Palladẽ quidem, ordinẽ quo ſingula diſponuntur: per Vulcanum verò, efficacẽ progreſſum & promptum quaſi partum ad quæ omnia properant: per Martem demiq; munitiſſimam ſtructuram à generantibus adhibitam genitis: & varia propugnacula naturam propriam à contrariis defendentia. Tria ſimiliter in arte humana quidem omni, maximè verò ciuili eſſe debẽt: vt ſingula & ſapiẽter prius quàm fiãt, excogitentur: & maturè ſtrenuèque expediantur: & ea forma qua excogitata expromptáque ſunt, ſeruentur atque fortiter defendantur. Et vt cognoſcamus artem humanam in his omnibus abſoluendis non minus quàm naturam ab ipſo deo ideiſque pendere: inquit tres illos deos humanis artibus præſidere. At ne ſolas à diis artes habuiſſe putem, addit deos vitę datores reuereri maximè omniũ oportere: adeò vt vel eorum nomina nõ ſint vel*

vel impudētr vel temerè proferenda: ſed omnia vel minima ad
eos pertinentia, purè reuerētur, caſtéque tractāda. Quibus præ-
ceptis nihil poteſt ſanctius excogitari: ſi modò non deos, ſed deū
nominaſſet. Sed ecce vnam Iouis ſummi ſubſtantiam introduxit:
neque multiplicauit ſubſtantias, dū multiplicaret ideas: quid-
nam vltrà in eo deſideramus? Quinetiam vbi deos nominat, non
aliter ſentit quàm qui dixit: Millies mille miniſtrabāt ei. Neq;
verò ſilentio prætereundum eſt, quod ait animam à deo vitam
accipere, intelligendam eſſe vitam mediam inter illam quæ in æ-
ternitate manet, qualis eſt angelica tota ſimul, atque illam quæ
quodam tempore clauditur. Mediam inquam, ex æternitate tē-
poréque compoſitam: in qua cœli inſtar ſubſtantia quidē ſemper
manet, actio verò & affectio fluit ſemper. Ideóque in libro ſupe-
riore animam dixit & eſſe ſimul & fieri, eſſéque imperdibilem:
non tamen æternam, qua lege ſunt dij, id eſt no omnino manentē.
Dixit autem deos, id eſt angelos manere: non ex ſe quidē, ſed le-
ge diuina, eos per ſe mobiles æternè ſiſtente. Ait corpus quoque
imperdibile eſſe, corpus certè cæleſte. Fortè verò & elementa-
le, quatenus & elementorū moles, & materia prima non diſper-
duntur: ex quibus in Politico inquit corpus idem quandoque di-
uinitus recreari. Notabis vbi de teſtamentis loquitur, & per-
ſonam & rem cuiuſlibet ciuis, non ſui ipſius eſſe, ſed patriæ. Itē
vbi de orphanorum cura tractatur, animas defunctorū res no-
ſtras ſentire atq; curare, ſentire inquā per corpus cæleſte atq;
aereum: & curare præ aliis alia, ad quæ vel natura, vel habitu,
vel diuina prouidētia magis afficiūtur. Præſertim animas quæ
cum mediā tenuerint vitam, mediam quoq; obtinent regionem.
Mediam dico tum ſitu, tum qualitate. Situ quidem inter cœlum
& terram, qualitate verò inter beatitudinem ſummam extre-
mamq; miſeriam. Meminiſſe nanque oportet in libro ſuperiore
fuiſſe dictum: quemadmodum certæ quædam naturæ cogna lo-
ca & conuenientes naturas aſciſcūt, ſic animas cùm factæ ex ſe
tales fuerint aut tales, conſequēter pro ſimilitudinis ipſius na-
tura ad gradus ſedéſq; & ſimiles & ſimilium tranſmigrare: vt
cæleſtes quidem factæ cæleſtia, terrenæ verò terrena, aereæ autē
aerea petant. Profectò cùm alia nonulla circa animas Plato af-
firmare non audeat, hucuſque tamen, & hic & in libro de ſcien-
tia euidentiſſimè aſſerit, atque alibi ſępe ſignificat. Vnde & ait,
cauendum eſſe pupillos lædere, ne parentū animæ nobis iure ſuc-
cenſeant. Idémq; in nono, dum ageret de homicidiis, inquit, ani-
mas ſcilicet interfectoribus indignari. Huic illud ſimile, Maria-
norū animæ Syllam ſollicitabāt. Hinc & tragœdiæ furentē Ore-
ſtem agunt. Animaduertes poſt hæc vbi de parentum cultu tra-
ctatur, honorandas quidē ſecretas deorum ſtatuas, non propter
ſe, ſed quia deos nobis ſignificant, ſed magis honorandos eſſe pa-
rētes, quaſi animata deorū ſimulacha. Addit imprecationes pa-
rentum in filios exaudiri à deo: neq; quicquā accidere filiis pe-
ſtilentius. Audies poſt multa iterum: quod eſt valdè Platonicū:
Pœnis maligni vexantur, non quia fecerunt (nam quod factum
eſt, infectū eſſe non poteſt) ſed ne quid tale poſthac fiat: & vt in-
iuſtitiam odio tam qui puniuntur, quàm qui puniri intelligunt,
perſequātur, aut ſaltem minus in ſimili vitio delinquatur. Pręte-
terea iudicē legumlatoris interpretem eſſe, iuſtitiæque miniſtrū.
Punit deinde ſuſurrones, detractoréſque, & qui in ira obiurgāt
atque conuiciantur, & qui grauiores perſonas mordacibus iocis
offendūt, & qui inter iocandum acrius iraſcūtur. Audies maxi-
mè timēdam eſſe diuinam vindictam, ſiquis in teſtimoniis iura-
mentiſq; mentitur. Audies denique in teſtimonio, atque iureiu-
rando, veritatem ipſam per Themidem, Iouémque & Appllinē
eſſe firmandā. Per Themidem quidē ſignificatur ius fáſq; & ci-
uile & ſacrum, & apud homines & apud deum: vt intelligat
quiſquis iurando teſtificandóque mentitur, contrarius fáſq; hu-
manū, diuinum, contra homines, contra deum grauiter ſe pecca-
re. Per Iouem verò, qui nutu omnia concutit, cognoſcat: ſi pecca-
uerit, diuinæ potentiæ vltionem ſe nequaquam euitaturum. Per
Phœbum autem, ne cōfidat delicta ſua, præſentia vel præterita,
eum latere poſſe, qui futura omnia vaticinio præſagit.

Cōmerciorū leges.

SEQVITVR vt dicamus de pactis: cō-
ueniētémq; iis ordinē tribuamus. Sim-
plex autem illud ſit: vt nec mea quiſquā
pro viribus tangat, nec moueat meorū
quicquam etiam minimum, niſi mihi perſuaſerit.
Atque ego idem dum mentis compos fuero, alienis
in rebus efficiam. In primis quidem theſaurum cùm
dicimus quē ſibi quiſq; & ſuis depoſuit, qui meorum
parentum non erat, nec reperire vnquam optarim,
nec ſi repererim, mouea: nec ariolis depoſitum ac-
cipere conſulentibus credā. Nunquam enim mihi
tantū pecunia proderit, ſi accepero, quantū virtute
animi iuſtitiáque excellam, ſi non accepero. Pro poſ-
ſeſſione enim pecuniæ melior mihi poſſeſſio animi
iuſtitia erit, ſi virtutem diuitiis præpoſuero. Quippe
cum bene de multis dicatur: quæ immobilia ſunt,
mouenda non eſſe: perpulchrè etiam de hoc velut
vno ex illis dicetur. Sed vulgatæ quoq; de his rebus
famę credendum eſt, generationi hęc liberorū non
conferre ſiquis uero de liberis non curet, legiſq; la-
toré negligat, ac ideò quæ nec ipſe, nec ſuorum ali-
quis depoſuit, eo inuito qui depoſuit, auferat is legē
illam optimam & ſimpliſſimam aſpernatur, quam
generoſus vir promulgauit, qui dixit, Quæ non de-
poſuiſti, ne tollas. Quid ergo hūc pati oportet, qui
hos duos legiſlatores deſpexerit, quódq; ipſe non
depoſuit, ſuſtulit: nec paruum quiddā quod abſtu-
lit, ſed magnus theſaurus fuerit? Quæ pœna huic à
diis debeatur, deus quidem ipſe nouit. Quæ verò ab
hominibus, declarabimus. Qui primus viderit, iu-
dicibus indicet. Ac ſi in vrbe delictum eſt, ædilibus:
ſin verò in agro, agrorum curatoribus, eorúmque
principibus: ſi in foro rerum venalium, earundem
curatoribus id ſignificet. Réque ita patefacta, Del-
phos ciuitas mittat, & quod oraculo dei tam de pe-
cunia, quàm de illo qui pecuniam mouit, dictum
fuerit, id ciuitas deo obſecuta cōfirmet. Et qui fecit
indicium, ſi liber fuerit, in virtutis veniat opinio-
nem, & contrà vitij, ſi ſciens celauerit: ſin autem ſer-
uus fuerit, pretio, à ciuitate domino eius collato, li-
berandus eſt. Seruus verò qui celauit, morte ple-
ctendus. Hanc legem illa deinceps ſimilis de paruis
ſimul & magnis ſequitur. Siquis rem ſuam alicubi
volens, vel cōtrà, reliquerit, nō tangat qui fortè re-
pererit: ſed putet deā itineris à lege ſibi hæc conſe-
crata ſeruare. Quicunq; verò hac lege ſpreta, domū
hæc ſuam aſportauerit, ſi ſeruus ſit & parui prætij, à
quocūq; obuiam facto, & vltra annos triginta na-
to verberibus multis pulſetur. Sin autem liber, illi-
beralis primò & legum exors habeatur, deinde et iā
decuplum pretij rei illius quam mouit, ei qui reli-
quit retribuat. Quādo quis magnum aliquid de ſuis,
vel paruum ab aliquo teneri conqueritur, quod ille
habere quidem fatetur, ſed eius qui petit, eſſe negat:
ſi res apud magiſtratus cōſcripta eſt ſecundum le-
gē, vocetur ad magiſtratus qui tenet. Réq; ipſa pa-
tefacta, ſi conſcriptū eſt alterius de aduerſariis rem
eſſe, ille ipſe habeat. Quòd ſi neutrius eſſe, ſed abſen-
tis cuiuſquam inueniatur, qui ſufficientē fideiuſſio-
nem non dederit, illi ſe abſenti cuius eſt, rē traditu-
rum, is tantundē deponere cogatur. Verùm ſi apud
magiſtratus res qua de agitur, conſcripta non ſit,
tunc apud tres inter magiſtratus ſeniores vſq; ad la-
tam ſententiam deponatur: ac ſi animal eſt de quo
ambigitur, lata ſentētia qui cecidit cauſa, magiſtra-
tibus ipſis impendium alimentorū reſtituat. Tribus
verò diebus id iudiciū abſoluatur. Mentis quilibet
compos ſeruum ſuum honeſtè ipſo vſurus, ducat
quò velit: ducat etiam anicorum neceſſariorúmue
nomine, vt fugitiuum reſtituat in gratiam. Quòd
ſi quis aliquem vt ſeruum ductum ad libertatē ven-
dicet, dimittat quidem qui duxit: qui verò ita au-
fert, ſi tres fideiuſſores dignos præbuerit, ſi iure ſit
ereptus. Aliter ſi abduxerit, vim intuliſſe videatur:
damnatúſq; duplum damni ei reſtituat, à quo ab-
ſtulit. Libertum quoque ſuum vnuſquiſq; ducere
poſſit,

Laertius refert inter Solonis leges.

Libertorum cōditio.

poſſit, ſi ab eo nō colitur, aut ſi non ſufficienter co-
litur. Cultus autē eſt, primū vt ter domini domum
menſibus ſingulis veniat, paratúq; oſtendat facere
quicquid honeſtum poſſibiléq; ſibi ſit: deinde vt de
matrimonio quicquid domino videtur, faciat. Nec
ei liceat maiores ſibi diuitias comparare, quàm ille
poſſideat qui liberauit, ſed quicquid plus habuerit
domino detur. Libertus autem, ſicut & peregrini,
vltra viginti annos in ciuitate non moneat: ſed poſt
id temporis, bonis ſuis acceptis abeat, niſi domino
quando ſuo & magiſtratibus perſuaſerit. Si antem
liberti & peregrini alicuius bona tertiū cenſum ex-
ceſſerint, trigeſimo die poſtea quàm hoc factū de-
prehenſúmue ſit, rebus ſuis acceptis recedat, nec
vlla ipſi vlterius manendi facultas à magiſtratibus
concedatur. Huic legi ſiqui non obtemperaſſe con-
dēnatus fuerit, morte plectatur, & bona ſua in pu-
blicum redigantur. Hæc tribuū iudices cognoſcāt:
niſi prius per vicinos, & arbitros, litigantes conci-
liati fuerint. Siquis animal aut rem aliam ſuam eſſe
dicit, qui habet, ad eum referat qui vel vendidit,
vel legitimè ſufficientérq; donauit, vel quomodo-
cūq; aliter validè firmitérq; tradidit: & veritas, ſi ad
ciuem vel vrbis incolā ille retulit, intra triginta dies
inueniatur: ſin autem ad externos, menſibus quinq;
quorum medius ille ſit menſis, in quo ab æſtiuo ſol
circulo ad hyemalem recurrit. Quæcunq; emendo
vendendóq; cōmutantur, in ſtatuto fori loco per-
mutentur, dando accipiendóq; vltro citróq; rem &
rei pretiū illicò, nec alicubi alibi. nulla verò emptio
venditióq; ad terminū fiat. Quòd ſi aliter aut in aliis
locis permutatio facta fuerit, ita vt fidem habeat ei
cū quo permutat, hæc faciat, velut nullum ſit ſe -
dū legē de his, quæ contra nunc dictū mod vēdi a
ſunt, iudiciū. Sed nec de collatione conuiuiiſq;, cùm
nonnulli ad aliquid inter ſe agēdum, pecuniam vel
quoduis aliud cōferant, iudiciū reddatur. Vēditor,
qui pretiū rei venditæ nō minus quā quinqu ginta
drachmas accepit, decē in ciuitate neceſſariò dies
expectet: nec diuerſoriū eius emptor ignoret. Id ve-
rò querelarū redditionúq; legitimarum gratia, quæ
in his contingere ſolent, ita fieri volumns. Redditio
autē legitima à non legitima ita diſcernitur. Quādo
quis ſeruum vendidit phreneſi, vel calculo, vel ſtrā-
guria, vel eo morbo quem ſacrum appellāt, aut alia
quauis plurimis occulta & longa, & ægre ſanabili
corporis ſiue mentis ægritudine laborantē, ſi medi-
cus aut gymnaſticus emit, reddere non liceat. Sed
nec etiam quando vēditor emptori cuiuis veritatē
prędixerit. Sin autē artifex aliquis huiuſmodi rerū
peritus, ignaro & rudi cuipiā tale aliquid vendidit,
qui emit, citra ſex mēſes in aliis, in morbo verò ſa-
cro vſq; ad annum integrum reddere poſſit. Iudiciū
verò harum verū apud medicos agatur, quos com-
muni cōſenſu litigantes elegerint. Et qui cōdemna-
tus fuerit, duplum pretij eius, quo vēdidit emptori,
perſoluat. Quòd ſi imperitus imperito vendidit,
quemadmodū de ſuperioribus dictum eſt, redditio
indiciúmq; fiat: & qui cōuictus fuerit, ſimplex pre-
tium deferat. Quando quis homicidam vendidit, ſi
ſciens quidem, ſcienti non reddatur: ſi neſcienti: tūc
reddatur, quando ſenſerit emptor. Id verò iuniores
de legum cuſtodibus quinq; cognoſcāt. Ac ſi igno-
raſſe inuenietur, emptoris domū primo ſecundum
legē interpretū legum à piaculis purget, deinde pre-
tij triplum illi deponat. Qui nummos pro nummis,
aut quæuis animalia, & cætera quæcunq; velit, cō-
mutat, nec afferat nec accipiat adulteratū quicquā,
legémq; iſtam diligenter obſeruet. Sed huic quoq;
legi, quemadmodū legibus aliis, exordium præpo-
natur. Adulterationē quidem, mendaciū, deceptio-
némq; quaſi genus vnū putare oportet. In quo ſanè
multorū damnandus eſt ſermo, qui hoc ipſo, quan-
docunq; opportunè ſit, rectè ſe vti affirmāt. Cúmq;
occaſionem ipſam vbi & quando non determinēt,
& ſibi & aliis hoc verbo multū officiunt. Legis autē
lator ita interminatū iſtud nō omittet, ſed diligen-
ter pluribus paucioribúſve terminis declarabit. At-
qui & nunc ita determinetur. Nemo diis inuocatis
mendaciū dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo
vel re quicquam audeat, niſi deo velit odio eſſe. Cui
quidem primum odio eſt, qui falſo iurans. deos par-
uipendit. Deinde qui corā maioribus ſe mentitur.
Maiores verò aliis præſtant: vt ſeniores cōmuniter
iunioribus, parentes natis, viri mulieribus atq; pue-
ris, principes ſubditis. Quos reuereri par eſt, cum in
omni principatu, tum vel maximè in ciuili, vnde in
hunc ſermonē incidimus. Quicūq; enim aliquid in
foro adulterat, mētitur certe ac decipit, diiſque ad-
uocatis aduerſus rerū venaliū curatores eorúmque
iura peierat. qua certè in re nec homines veretur,
nec deos colit. Æquum profectò eſt nomina deorū
nō facilè inquinare, nec ea huc atque illuc deuolue-
re, ſed omnia quæ ad deos pertinent, purè caſtéque
ſeruare. Qui his rationibus nō perſuadetur, hác le-
ge vrgeatur: qui vendit in foro aliquid, nunquā ſuæ
rei venalis duo pretia dicat: ſed cùm ſimplex impo-
ſuerit pretium, ſi non vendiderit, referat, iterum, &
eadem die, nec maius, nec minus pretiū petat. Laus
autem rei venalis & iuramentum longè abſit. Eum
verò qui hanc legem trāſgreditur, quilibet ciuis nō
pauciores quàm triginta natus annos, cùm iurātem
audierit, impunè verberibus cædat: quod ſi non fe-
cerit, legum proditor habeatur. Eum verò qui legi
nō obtemperauerit, rémq; adulteratam vendiderit:
quicūque aduertit, potéſtq; arguat: & qui corā ma-
giſtratibus redarguerit, ſeruus quidem aut inqui-
linus rem adulteratam ſecum aſportet. Ciuis verò ſi
accuſare neglexerit, quaſi diis ſuſtulerit, improbus
habeatur: ſin accuſauerit cōuiceritq;, diis qui foro
præſunt, dedicet. Huius autem rei qui deprehenſus
fuerit manifeſtè venditor, non ſolùm reipſa priue-
tur, verumetiam tot verberibus publicè cædatur,
quot drachmis vēdebat, præconum voce cauſa cur
verberetur, declarata. Sed vendētium omnem ma-
litiam adulterationéſq; ipſi rerum venalium cura-
tores cuſtodéſq; legum ab hominibus harum rerū
peritis diligenter inquirant: & in columna conſcri-
ptas in foro proponant, vt planè ex his pateat, quid
oportet, & quid non, vendentes facere. De ædilium
verò legibus ſatis ſuprà diximus. Et ſi quid deeſſe
ædilitiis legibus videatur, ædiles ipſi cum legum cu-
ſtodibus habito cōcilio ſuppleant: deinde in colūna
primas ſecūdáſq; inſtitutiones inſcribāt. Poſt adul-
terationem ſequitur vt de cauponatione dicamus:
de qua conſilium primo, & rationē dabimus: legem
deinde ponemus. Cauponatio omnis in ciuitate nō
nocēdi gratia, ſed contrà omnino naturaliter adin-
uenta eſt. Quomodo enim ille non profit qui rē pe-
cuniariā immoderatā, & inæqualē, ad æqualitatem
modúq; redegit? Quod nūmularius, mercator, mer-
cenarius, & hoſpitalis diuerſorij magiſter faciunt. hi
enim cæteriq; huiuſmodi, ſiue honeſtiores, ſiue tur-
piores, indigentiā ſupplere, rebúſq; æqualitatē præ-
bere

Dei nomē in vanum nō ſumendū

Cauponatio

bere conantur Sed conſideremus quęnam huic rei cauſa calumniæ ſit, & cur honeſta non videatur, vt etſi, non totum, attamen partē legibus ordinemus. CLI. Res hæc, vt videtur, nec exigua eſt, nec paruam virtutem poſtulat. ATH. Quomodo dicis Clinia? Pauci admodum natura homines, & ij quidem optima educatione præditi, quando egeſtate cupiditatéq; rerum aliquarum afficiuntur, ita continere ſe poſſunt. vt moderatè ſe gerant: & cùm liceat magnam pecuniam capere, modica cōtenti ſint, mediocritatémq; exceſſui anteponant. Vulgus autem contrà facit omnino. Immoderata enim cupit: & cū mediocriter lucrari liceat, inexplebili lucri cupiditate vexatur. Quocirca omnia genera hominū quæ in cauponatione, mercatura, diuerſorióque verſantur, calumniæ & opprobrio ſubiacent. Nam ſiquis, quod abſit, neq; fiat vnquam, modò cogeret (dicam enim & ſi dictu ridiculum eſt) ſiquis inquam, coheret optimos vbique viros ad aliquod tempus diuerſoriis præeſſe, aut cauponari, aut huiuſmodi aliquid facere, mulieres quoque ſanctiſſimas aliqua fati neceſſitate ad hæc ſimiliter deſcendere, cognoſceremus planè honeſta & approbanda hæc omnia eſſe, Quippe niſi corruptè fierent, matrū nutricúmque perſonā gerere non iniuria qui hæc faciūt, putarentur. Nunc verò in deſertis locis ad quæ multæ longæq; ducūt viæ, cauponādi gratia domos ędificant: optato diuerſorio tēpeſtate pulſos ſuſcipiūt, & caloribus preſſos recreant: deinde non tanquā amicos hoſpitalibus muneribus donatos remittunt, ſed vt inimicos atq; captiuos, vbi ſe maximis & iniuſtis & impuris redemptionis pretiis redemere, dimittunt. Hæc autē, cæteráq; huiuſmodi in his omnibus turpiter acta, faciūt, vt huiuſmodi ſtudia quę indigentibus opē ferunt, calumniæ ſint ſubiecta. Quorū remediū à latore legū excogitandum eſt. Rectū igitur eſt illud, & iam olim prouerbio celebratū: Arduum eſſe aduerſus duo contrariáque pugnare. Quēadmodū in multis aliis morbis, & in iſto contingit. Pugna enim nunc nobis ad duo imminet, diuitias atq; egeſtatē: quorū alterum hominū animum deliciis mollitiéq; corrūpit: alterum doloribus ad impudētiam trudit. Quod igitur remedium in ciuitate prudēter inſtituta ad pellendū hunc morbū excogitabimus? Danda eſt opera primū, vt quàm minimo pro viribus cauponū genere in ciuitate vtamur. Deinde his hominibus cauponandi artes commendandæ ſunt, quibus corruptis nō magnum ciuitas detrimentum incurrat. Tertiò inueniēda via & ratio eſt, ne facilè impudētia atq; illiberalitate illorum hominum animi repleantur. His dictis hæc Magnetibus lex de huiuſmodi rebus bona fortuna feratur, quorū vrbem deus erigens, coli iterū facit. Nullus agricolarum & eorū qui de quadraginta & quinque millibus domorum ſunt, caupo mercatórq; nec ſponte, nec inuitus fiat, nec priuati cuiuſquam fiat miniſter, qui non ex æquo in eadē ſorte ſibi reſpondeat, niſi patris ac matris, aliorúmq; genere maiorū cæterorúmq; ſeniorum qui liberi ſunt & liberè viuunt. Liberū verò & non liberū, nō facilè poteſt legibus exquiſitè diſtingui. Diſcernatur tamen ab optimatibus, ac odio & amore ipſorum diiudicetur. Eum verò qui illiberali cauponationi in aliqua arte operam dederit, volens quilibet ad optimates, virtutéque primos quaſi generi ſuo dedecori ſit, accuſet. Et ſi paternā domum indigno ſtudio maculaſſe deprehendatur, ab hoc opere vinculis annuis arceatur. Qui ſi iterum lapſus

Prouerbium, Arduum aduerſus duos pugnare.

fuerit, bienniū vinciatur. Ac deinceps quoties peccaſſe deprehenditur, duplo tēpore ſemper detineatur. Altera lex iubet, vt peregrini duntaxat, & aduenæ cauponarias artes ſequātur. Tertia lex cauēdum monet, vt peregrinus ille vel incola, aut, q̄ optimus aut quā minimè malus ſit. Nec ignorare legū cuſtodes debēt, non ſolū obſeruatores illorū ſe eſſe, quos ab iniquitate prauitatéq; amouere difficile non eſt, qui bene nati educatiq; ſunt, verumetiam illorum multò magis, qui tales nō ſunt, & in artibus his verſantur, quibus ad improbitatem facilius impelluntur. Quum verò cauponatio multiplex atque varia ſit, cū peritis ſingulorū eius generum cuſtodes legū conueniant, & vt paulo antè de adulteratione huic affini dicebamus, quę neceſſaria ciuitati videbūtur, ei fieri primò cōſtituant. Deinde impendio, & emolumento diligēter examinato, quid mediocre caponi lucrum ſit, videant, & tam impendium quàm emolumētum conſcribāt. Obſeruentur autem alia ab ædilibus, alia à rerum venalium curatoribus, alia ab agri magiſtratibus. ſic fermè cauponandi artes ſingulis proderunt, & minimè oberunt. Si quis non videatur pacta ſeruaſſe, niſi lex aut decretum prohibeat, aut neceſſitas & vis illata coegerit, aut inopinatus caſus inuitum detinuerit: in aliis nō ſeruati cauſam pacti, tribuū iudices cognoſcant, niſi vicini aut arbitri prius reconciliauerint. Vulcano & Palladi opificum genus qui vitam nobis ſuis artibus inſtruxerunt, conſecratum eſt. Marti verò & Palladi genus eorum qui artificum opera cæteris quibuſdū ad tutandum auxiliandúmq; paratis conſeruant artibus. Nec ab re horum genus his diis eſt conſecratum. Hi enim omnes regionem populúmq; curant. Alij quippe bellicis certaminibus præſunt. Alij mercede opera inſtrumentáque efficiunt. Hi profectò deos autores veriti neminē mendacio decipere debent. Si autem artificum aliquis in tempore ſtatuto opus per malitiam nō abſoluerit, ac deum vitæ datorem cæcitate quadā animi ignoſcere ſibi tāquam domeſticum ſuum aliquem arbitratus, ipſum minimè vereatur, primùm deo ipſi pœnas dabit deinde hac lege reus factus, operis quod in tempore nō fecit, mercedē perſoluat, ac ab initio turſus in eodem ſpatio tēporis opus gratis efficiat. Sed quod venditori de rerum venalium pretio lex cōſuluit, idipſum opifici quoq; couſulit. Caueat ergo ne pluris quàm æquuum eſt, ipſe ſuum liceatur opus, ſed quàm ſimpliciſſimè, & vt dignum eſt, licitatio fiat. Non enim ignorat opifex quo pretio dignum opus ſuum ſit. Nec debet in libera ciuitate artifex arte ipſa quæ aperta res eſt, & à mēdacio longe remota, rudes decipere. In his igitur iniuriā patienti aduerſus facientem iudiciū reddatur. Si quis opifici mercedē ſecundum pacta non dederit, ſed Iouem ciuitatis tutorē, Mineruámq; huius rei participē neglexerit, & paruo lucro motus, magnā hominū ſocietatē pro virili parte diſſoluerit, lex vna cum deorū auxilio ciuitatis vnioni patrocinetur. Qui operis accepti mercedem tempore quo pactus eſt, nō obtulerit, duplum reddat: ac ſi annus prætererit, quāuis pecuniæ acceptæ mutuò ſine vſura reddi debeāt, hic tamen pro ſingulis drachmis ſingulas ſextas drachmæ partes mēſibus ſingulis dato. Harum rerum cauſas tribuum iudices cognoſcant. Verum quoniam de opificibus mentionem fecimus, & imperatores cæteriq; bellicorum inſtrumentorum artifices, modo quodā opifices ſunt, non alienum eſt, vt de his quoq; dicamus.

Opifici dij.

Merces ſine vſura ſoluēda.

Si ergo

Si ergo quiſpiam horum opus aliquod publicum, ſiue ſponte, ſeu iuſſus ſuſceperit, rectéque quod cœpit, abſoluerit, iuſtè huic lex honores qui bellicoſis viris præmia ſunt, ita reddet, vt laudare nunquam deſinat. Sin autem ei qui rem bellicam bene geſſerit nihil redditur, iuſtè conqueretur. Itaque lex quædam de his cum laude mixta, quæ non cogat quidē, ſed conſulat multitudini ciuium, ponatur. Honorētur boni viri, qui aut fortitudine, aut bellica quadā peritia ciuitatem totam ſeruauerint: & maximi honores illis primò attribuantur, qui bonorum legum conditorum leges præcipuè coluerunt. Iam igitur de pactis quæ maxima homines inter ſe tractant, præterquam de pupillis atq; tutoribus, ferè iam dictum eſt de quibus nunc neceſſariò eſt dicendum. Horum omnium initium eſt, eorum quidem qui mortui ſunt, vt libuit, teſtandi cupiditas: eorum verò qui nihil teſtati ſunt, fortuna. Ob id autem neceſſariò dicendum, ô Clinia, dixi, quoniam huius rei difficultatem conſiderabam: nec enim poſſibile eſt abſque ordine id relinquere. Nam multa ſinguli diuerſaque, & inter ſe ac legibus & viuentium moribus maioribúſque ſuis cōtraria properè teſtabuntur, ſiquis ſtatuet, quodcunq; teſtamentum in fine vitæ conditū fuerit, id omnino fore inuiolatum. Stulta enim & abiecta quadam moroſitate fermè omnes premuntur, quando morituros ſe iam arbitrantur. CLIN. Quomodo id ais hoſpes? ATHEN. Difficilis quædam res eſt, ô Clinia, homo iam moriturus, hiſque verbis frequentiſſimè vtitur, quæ legumlatores terrent atque fatigant. CLIN. Quomodo iſtud? ATHEN. Nempe quum velit ſuorum omnium eſſe dominus, hæc ſolet, & quidem cum ira dicere. CLI. Quænam? ATHE. Graue, inquit, eſt nimiū, ô dij, ſi mea mihi non licebit cuicunque volo relinquere: & aliis plura, aliis pauciora, prout erga me boni maliue liquidò inuenti ſunt, tum in morbo, tum in ſenio, tum in aliis fortunis meis ſufficienter comprobati. CLIN. An non rectè hoſpes, tibi loqui videntur? ATHE. Priſci legumlatores, ô Clinia, molles fuiſſe mihi videntur, & ad minimum quid humanarum rerum in ferendis legibus reſpexiſſe. CLIN. Quónam pacto? ATHEN. Illis morituri hominis verbis, ô optime vir, commoti legem illam ſcripſerunt, per quam licet cuique vtcūque velit ſimpliciter ſua diſponere. Ego autem & tu in ciuitate tua morituris commodius reſpondebimus. CLIN. Quomodo? ATHE. O amici, dicemus ac breui proculdubio morituri, difficile vobis eſt res veſtras, atque etiam voſipſos ſecundum Delphicam inſcriptionē cognoſcere. Ego igitur qui leges cōdo, nec vos veſtros eſſe arbitror: nec rē familiarē hanc omnē eſſe veſtrā, ſed totius veſtri generis præteriti atque futuri: multóque magis vniuerſæ ciuitatis & genus omne & diuitias eſſe. Hæc cum ita ſint, ſiquis aſſentatiunculis in morbo & ſenio vos aggreſſus, præter honeſtum, teſtamentum condere perſuaſerit, nunquam id fieri ſponte concedam: ſed quod ciuitati vniuerſę generíque cōferat cōſiderās, ita leges cōſcribam, vt ſingulorum cōmoda minoris quàm cunctorum vt par eſt, ęſtimem. Vos igitur mites atq; beneuoli nobis ite modò, quò naturæ humanæ vos neceſſitas vocat. Nobis autem reliqua veſtra curæ erunt, qui nō aliis magis quàm aliis rebus ſtudemus, ſed omniū æquè pro viribus curam gerimus. Hæc in proœmio ſolamina & viuētiū & morientiū, ô Clinia, ſint. Lex autem ſit iſta: Qui liberos habet,

Militiæ opifices.

& teſtamentum cōſcribit, primò hæredem de filiis vnum, quem dignum putauerit, conſtituat. Deinde quemcúnq; aliorum adoptādum aliis dederit, conſcribat. Et ſi filiorum aliquis ſupereſt, nulla hereditate munitus, quem ſecūdum legem in coloniā ſperat profecturū, huic liceat patri de alia pecunia quātum velit legare, paterna ſorte ſemper excepta, & omnibus quæ ad illam pertinent. Quod ſi plures ſint, eis pater quæcunq; vltra ſortem ſunt, vt velit, diſtribuant. Ac ſi alicui eorum iam domus eſt, ei pecunias non tribuat: neq; filiæ ſimiliter quæ viro ſit deſpōſata, ſi deſpōſata nō fuerit, tribuat. Et ſi filiorū filiarúmve alicui ſors aliqua in regione poſt cōditū teſtamentū aduenerit, teſtatoris ipſius hæredi relinquatur. Si autē non filios, ſed filias habet qui teſtatur, cuius filiæ velit virum hæredem ſibi ac filiū fore conſcribet. Et ſi alicuius filius ſiue naturalis, ſiue adoptiuus, antequā togam virilem aſſumat, deceſſerit, has etiā fortunas ſuas teſtator ſignificet, & quē velit loco illius melioribus auſpiciis filiū ſibi fore, declaret. Siquis abſq; liberis omnino teſtamentum condit, decimam partē fundi vltra ſortē acquiſiti leget cuicunq; ciui voluerit. Cætera omnia futuro per adoptionem filio, benignè, ſine querela & ſecūdum legem tribuat. Si cui liberi tutoribus indigēt, & idem moriens teſtamento tutores quoſcunq; & quotcunq; velit conſtituerit, qui tutandi officium ſuſcipere velint, ita fiat ſicut deſcripſerat. Sin verò vel inteſtatus naturæ cōceſſerit, vel tutores nō conſcripſerit, qui genere proximi ſunt, duo ex parte patris, duóque ex parte matris, atque vnus ex mortui amicis, tutelam ſuſcipiāt. Quos legum cuſtodes indigentibus pupillis ſtatuere debent. Nā quindecim ipſorum cæteris ſeniores, orphanorum omnium quinquennio curā ſic habere volumus, vt terni pro dignitate ſingulis annis curēt: & exacto quinquennio ſimiliter quindecim alios, atque id pro viribus nūquā deficiat. Siquis autē nihil teſtatus deceſſerit, filiosq; tutela egētes reliquerit, iiſdē legibus eis prouideatur. Qui verò inopinata fortuna deceſſerit, fíliasq; reliquerit, latori legū veniā cōcedat, ſi ad duo de trib. ad ipſum pertinētib. reſpiciēs, eius filias collocet, ad propinquitatē videlicet generis, ſortéq; ſeruandam. Tertium autem quod paterni officij eſt, vt moribus ciuium diligenter conſideratis, idoneum & ſibi filium, & filiæ ſponſum deligat, id quoniam impoſſibile conſideratu eſt, prætermittat. Lex igitur pro viribus hac de re huiuſmodi ſit. Siquis inteſtato mortuus filias reliquerit, frater eius ex patre aut ex matre, ſi abſq; ſorte ſit, mortui filiam, & ſortem ſuſcipiat. Quòd ſi frater non extat, eius filius, niſi ætas obſtet, accipiat. Tertius ſororis filius, ſi nullus illorum extat. Quartus patris frater. Quintus filius eius. Sextus ſororis paternæ filius. Et ſimiliter per fratres conſobrinóſq; generis ſemper propinquitate ſeruata, ſi filias reliquit, ita procedatur, vt in eodem genere mares fœminis anteponātur. Cōuenientiam verò ætatis ad nuptias & contrà, iudex nudos omnino mares, nudas quoq; ad pubem vſq; fœminas conſpiciens iudicet. At ſi ad fratrum vſq; auorúmq; filios, cognatorum penuria ſit, quęcunq; ciuiū ſponte puella cū tutorum conſilio deliget, is ſi voluerit, eam in vxorē atq; inſuper hæreditatē accipiat. Quòd ſi magna in penuria illorū qui vrbē habitāt, aliquē in coloniā miſſum puella hæredem facere ſui patris optauerit, is ſi ex eodē genere fuerit, hæreditatē ſecundū legē adeat: ſin verò ciuis quidē,

Teſtamentorum leges.

Ee ſed

ſed nõ ex genere ſit, ducat eam ſi voluerit, ſecundũ tutorum puellæq; electionem: & hæreditatem domum reuerſus adeat. Siquis abſq; liberis omnimo, maſculis fœminiſque inteſtatò deceſſerit, cætera quidem ſecũdum ſuperiorem legem agantur. Mas verò, & fœmina ex eodem genere tanquam cõſortes, deſertam domum ingrediátur, quibus ſors propriè competat. Prima ſoror, deinde fratris filia. Sororis filia, tertia. Quarta, paterna ſoror. Paterni fratris filia, quinta. Sexta paternæ ſororis filia. Hæ cum illis, vt fas eſt, qui genere proximi ſunt, vitam agẽt, quemadmodum in ſuperioribus ſanximus. Sed ne fugiat nos quàm graue ſit earum legum imperium, quibus genere propinquam ducere vxorem iubemus. Quippe qui huiuſmodi legẽ fert, minimè cõſiderare videtur, quàm plurima impedimenta reperiri poſſe, quæ faciant, ne quis his præceptis velit obtemperare. Multi etiam quiduis potius perpeti volent, quàm ducãt, nubántue illi, cuius vel corpus ægrotum, mancúmue ſit, vel inſanus animus. In his ergo legumlator fortè nihil penſi habuiſſe videbitur. Et profectò in pleriſq; non rectè ita videbitur. Quare tam pro conditore legum, quàm pro ſubiectis cõmune huiuſmodi ſit exordium. Veniam dare legumlatori hi quibus leges ponuntur, debent: quoniã publicis gubernandis incumbens, nunquã poterit priuatis quoq; calamitatibus ſimul conſulere. Subiectis præterea ignoſcendum, ſi legeſlatoris ea nõnũquam præcepta complecti nequeant, quæ ſingularum calamitatum ignarus conſcripſit. CLIN. Quid igitur hoſpes hac in re agere decet? ATH. Arbitri, ô Clinia, qui legibus his ciues conciliẽt, eligẽdi ſunt. CLI. Quomobo id dicis? ATHENIEN. Nonnunquam diues aliquis iuuenis, deliciis deditus, & ad maiores nuptias inhians, patrui auunculiue filiã aſpernatur. Nonnunquã calamitate maxima puellę ſeu corporis, ſiue animi coactus, legi illi nõ obtẽperat, qua ad inſana connubia inuitus trahitur, quibus implicitus viuere nollet. Quare nobis hæc lex de iſtis ſanciatur. Si qui teſtamẽti, aut nuptiarũ aliorũq; gratia de legibus querantur, aſſerantq; legiſlatorem ſi viueret, minimè impulſurum hãc ducere, vel huic nubere, & propinquus aliquis ſeu tutor legiſlatorem affirmet orphanis tutandis cõciliandiſque tanquam arbitros & parentes quindecim de legum cuſtodibus reliquiſſe, ad hos ipſos litigãtes confugiãt, eorũmq; iudiciis pareant. Quòd ſi aliqui maiora legum cuſtodes vigere videantur, rem ad electiſſimũ iudicium deferat, expetátq; ſententiã, & qui dãnatus eſt infamia notetur: quod pecuniarum multarũ mulcta apud eum qui ſapit longè maius ſupplicium eſt. Sequitur poſt hæc quaſi ſecũda quædam orphanorum procreatio. Eſt autem poſt primam educatio diſciplináq;, de qua dictum eſt: poſt ſecũdam verò, operã dare debemus vt priuati parentibus quàm minimè miſerabili calamitate premantur. Legum ergo cuſtodes quaſi alteros iſtorum parentes, primis non peiores cõnſtituimus, & per ſingulos annos quaſi ſuis prouidere iubemus. Sed in primis de orphanorum educatione tam pro legũ cuſtodibus, quam pro tutoribus ita exordiamur. Opportunè videmur in ſuperioribus narraſſe defunctorũ animas vim quãdam habere, qua de rebus humanis curam habent. Id verum quidem, ſed lõga oratione approbatur. Quamobrem & aliis tritis antiquisq; de hac re ſermonibus, & legumlatoribus ſic ſe habere iſta ſancientibus credere debent, niſi omnino demẽtes ſint. Cùm verò hæc ita natura ſint, primũ deos maximè ſuperos timeant, qui de puerorum deſolatione procurãt, deinde etiam mortuorum manes, quibus natura ineſt, vt præcipua illorum cura teneantur, qui ab eis geniti ſunt, adeò vt honorãtibus eos propitij, cõtemnentibus infenſi ſint. Præterea ſeniorum viuentium animos, qui maximis in ciuitate felici fungũtur honoribus. Quos filij nepotéſq; dum colunt, iucundiſſimè viuunt. Hi acutè hęc audiunt, & acutè perſpiciunt, eiſque qui iuſtè orphanos tractant, beneuoli ſunt: Illis autem maximè indignantur, qui contumeliis parentibus orbos afficiũt. Orphanos quippe maximum ſacratiſſimúmq; depoſitum putant. His omnibus tutor & magiſtratus cõmonitus, mentem ſi quam habet, ad hanc rem adhibebit: ac de diſciplina educationeq; orphanorũ ita prouidebit pro viribus, vt ſibi & ſuis prouidere videatur. Quicunq; hoc ante legem exordio perſuaſus ab omni in orphanos contumelia ſe cõtinebit, iram legum effugiet. At qui præfationem hãc aſpernatus, aliquem patre aut matre priuatum iniuriis afficit, damnum duplum reſtituat, quàm perſolueret, ſi quẽ parentes ambos habentẽ læſerit. Sed leges quæ ſequũtur, tutoribus prout erga orphanos ſe gerãt, magiſtratibus prout de cura tutorum inquirãt, cõſcribimus. Si ergo educationis liberorũ ipſi propria & diſtincta quædam haberẽt exempla, ac ipſos educantes, de rebus ſuis aliter prouiderẽt, legéſq; de iſtis mediocriter diſtinctas haberent, non abſq; cauſa tutoris leges, quoniam multũ ab illis differrent, ſeorſum ederemus, aliis ſtudiis orphanorũ vitam, aliis non orphanorum munientes. Nunc verò ad hæc vniuerſa, orbitas eiuſq; cura non multum differt, quãtum ad leges attinet, à gubernatione paterna: ſed honore, contẽptu, & cura exæquari minimè ſolet. Quapropter lex conſolando minandoq; orphanorum curæ ſtudet. Neq; ab re fuerit, ſi hũc in modum minemur. Qui fœminam marémve tutatur, & qui de legum cuſtodibus tutorem obſeruare cõſtitutus eſt, non minus orphanos, quàm ſi genuiſſet eos diligat, neq; res illorum peius quàm ſuas gubernet, imò etiam affectu animi melius. Vnam verò hanc legem ſemper in animo habẽtes tutelam peragant. Siquis huic legi derogauerit, tutor quidem à magiſtratu cõdemnetur: Magiſtratus autem ad electorũ iudiciũ à tutore vocatus, duplo damno afficiatur. Id damnum ſententia iudicum æſtimetur. Quòd ſi tutor negligere, aut malitioſè agere propinquis, aut cæterorum ciuiũ alicui videbitur, in idem iudicium adductus, quadruplum damni reſtituat, cuius pars altera puero, accuſatori altera deferatur. Poſtquàm verò ad pubertatem orphanus venit, ſi malè ſecum egiſſe tutorem duxerit, ad quinquennium vſque ab exacta tutela in tutorẽ ſibi agere liceat. Et ſi tutor quiſpiam condẽnabitur, quid pati daréue debeat, à iudicibus decernatur. Si magiſtratuum aliquis per neglegẽtiam obfuiſſe orphano videatur, quid ipſi reſtituendum ſit, iudices ſtatuant. Sin verò etiam per iniuriam, non ſolùm damnum reſtituat, verumetiam magiſtratu legis cuſtodum priuetur, & alius pro eo ciuitati regioniq; à populo cõfeſtim creetur. Solẽt patrum aduerſus filios querelæ fieri, filiorum quoq; in parẽtes, maiores quàm deceat, quarũ cauſa patres ſcribi oportere à legiſlatore fortè putent vt liceat ſibi, ſi velint, publico præconio filiũ abdicare, ne amplius ſecundum legem filius ſit: & filiis parentes morbis vel ſenio turpiter

affectos

Inteſtatus ſine liberis moriens.

Pupillorũ & orphanorũ cura.

Tutori.

Magiſtratu.

affectos liceat amẽtiæ accuſare. Hæc omnia vbi peſſimi omnino mores hominum ſunt, accidere ſolent. Nam ſi dimidium ſolum eſſe malum, vt ſi parentes mali vel filii ſolùm eſſent, tam grauium inimicitiarum calamitates non euenirent. Profectò in alia quauis republica abdicatus filius, non neceſſariò ciuitate priuatur. In ea verò quæ his legibus gubernabitur, aliò abire patre priuatum neceſſe eſt. Quippe cùm ad quadraginta & quinquies mille domos nulla poſſit accedere. Quapropter oportet filium iure abdicandum non à patre ſolo, ſed à genere vniuerſo depelli. Itaq; in rebus huiuſmodi tali quadam lege agendum. Quando aliquis infelici indignatione cõmotus, ſiue iure ſeu iniuria iraſcatur, quẽ genuit educauitque à cognatione ſua cupit reiicere, nõ liceat leuiter ſubitóq; id facere: ſed primùm genere ſibi propinquos vſque ad patrueles, item filios ex parte matris conuocet. Apud quos accuſet filium, oſtendatque dignum eſſe qui à propinquis ſuis omnibus depellatur. Deinde filio quoque cauſam ſuam dicendi poteſtatem concedat, quòd videlicet talis non ſit, vt reiici debeat. Poſtremò ſuffragia præter parentes & filium ipſum propinqui omnes tam viri quàm mulieres conferant, niſi ætas impedimento ſit. Et ſi plura quàm dimidiæ partis ſuffragia patri ſuffragantur, liceat ei filium abdicare: aliter minimè. Siquis autem ciuium, abdicatum adoptare voluerit, nulla id lege vetetur: Iuuenum enim mores ſæpe in vita variéque mutantur. Ac ſi nemo circa decennium, reiectum filium coniungere ſibi adoptione voluerit curatores prolis ſupra modum adauctæ, quàm conſtituimus trãſmiſſis colonis amputari, de his quoque prouideant, vt eiuſdem coloniæ participes congruè fiant. Siquis morbo, aut ſenio, aut morum acerbitate, aut his omnibus magis quàm alij exagitatus in dementiam incidat, lateátque id omnes præter domeſticos: ille verò tanquam dominus rem familiarem diſſipet, & filius dementiæ patrem accuſare formidet, lex ita fieri iubeat primò quidem filius ad ſeniores legum cuſtodes profectus calamitatem patris enarret, qui re ſatis inſpecta, accuſandus nécne pater ſit, conſulant, dein ſi accuſandum decreuerint, teſtes ſimul & adiutores ſint accuſanti. Et ſi pater damnabitur, nec minimum quidẽ de rebus ſuis in poſterũ diſponere queat, nec tanquam paterfamilias amplius, ſed quaſi filius ac puer domum habitet. Si vir & vxor propter morum acerbitatem inuicem non conueniant, decem viri de legum cuſtodibus qui medij ſint, & decem mulieres de curatricibus connubiorum prouideant. Quorum ſententia ſi ita conciliati fuerint valida & ſtabilis habeatur. Sin autem illorum animi vehementius etiam iracundia fluctuent, facto diuortio, illos pro viribus quærant, qui vtriſque conueniant. Videntur autem in eiuſmodi hominib. acerbiores natura mores ineſſe. Quare maturiora mitioráque ingenia iſtis accommodanda ſunt: & quicunque ſine filiis ſunt, aut paucos procrearunt, diſſentiúntque, procreandorum liberorum cauſa coniugium rurſus quærere compellendi. Quòd ſi filios non paucos habent, atq; diſſentiunt, ſenectutis mutuo curandæ gratia diuortio facto, aliud coniugium ineant. Si mulier liberis maribus fœminiſque relictis mortua eſt, lex virum non cogat quidem, ſed perſuadeat, filios ſuos educare adducta nouerca: at ſi defuncta vxor filios non reliquerit, duci alteram cogat, ex qua tum familiæ ſuæ, tum ciuitati quantum ſatis ſit, ſobolem procreet. Si vir ſufficientes reliquit filios, mater ipſos vidua educato. Quòd ſi iunior eſſe videatur, quam vt ſana ſine viro viuere poſſit propinqui eius cum mulieribus connubiorum curatricibus cõſilio habito, quod ſibi illíſque videbitur, id exequantur. Si vero liberis egeant, liberorum quoque gratia ducant nubántve. Liberorum autem ſufficiens numerus, mas & fœmina ſecundum legem. Quoties vtrinque cõceditur, natos pueros eorum filios eſſe qui ſibi eos vendicant, ſed res iudicio eget, vtrum parẽtum potius ſequi natus debeat, ſic agatur. Serua ſi ſeruo aut libero aut liberto coniuncta peperit, ſeruæ domino natus detur: ſin ex ſeruo libera peperit, ſerui dominus, nati ſimiliter dominus eſto. Quòd ſi quiſpiam ex ſerua ſua natum ſuſceperit, aut quæpiam ex ſeruo peperit proprio, idque pateat, natum quidem ex hera & ſeruo in aliam regionem cum patre ſimul emittant. Natum verò ex ſerua & libero legum cuſtodes vnà cum matre extra fines expellant. Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos alicui vnquam conſulet. Sed quod de cultu deorum ignorare non oportet, id rectè dictum ad honorandos parentes prooemium erit. Leges de diis antiquæ apud omnes dupliciter poſitæ ſunt. Nempe alios deorũ cernentes, eos ipſos quos cernimus, colimus. Alios verò non videmus quidem, ſed eorum imagines fabricamus, eáſque licet inanimes dum honoramus, deos ipſos viuentes exiſtimamus ob id maximè nobis gratos & propitios fore. Cuius ergo pater, aut mater, vel horum parentes ſenio confecti quaſi theſaurus quidam domi iacent, is putet nunquam aliud ſibi tale ſimulachrũ, magíſque efficax domui ſuæ affuturum, ſi rectè, vt decet, ad eo colitur. CLINIA. Quiſnam rectus colendi modus? ATHENIE. Dicam. Digna enim, ô amici, hæc auditu ſunt. CLINIAS. Age igitur, dic. ATHENI. Oedipus contemptus à filiis ea illis imprecatus eſt, quæ exaudita effectáque à diis apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum, illi maledixiſſe ferunt: & Hippolyto Theſea: plurimóſque alios aliis. Quibus apertiſſimum factum eſt, à diis preces parentum aduerſus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis nõ iniuria perniciosius filio. Nemo verò cùm pater aut mater ab eo contemnitur, tunc ſolùm à Deo putet orationes eorum ſecundum naturam exaudiri, ſed cùm etiam honoratur: ac ideò cùm lætiores bona liberis à diis petunt, exaudiri eos ſimiliter exiſtimare debemus, atque ideò nobis æqua inde diſtribui. Nam aliter in bonis diſtribuendis iuſti non eſſent, quod longè à diis abeſſe neceſſe eſt. CLI. Certè. ATHE. Quapropter exiſtimandum eſt, vt paulò antè diximus, nullum apud deos magis honorandum ſimulachrũ habere nos poſſe quàm patres & auos ſenio confectos matréſq; ſimiliter. Quibus honoratis deus gaudet, alioquin eos minimè exaudiret. Mirabilius enim parentum ſimulachrũ nobis quàm inanimes quæq; imagines videri debet. Nam quæ animam habent, quando coluntur à nobis, pro nobis orãt fauéntq; quotidie: quãdo deſpiciuntur, contrà: quæ verò anima carẽt, neutrum horum faciunt. Quocirca qui erga parentes & auos cæteróſq; huiuſmodi rectè ſe gerit, is ad deos ſibi conciliandos ſimulachrorum omnium optima poſſidet. CLINI. Præclarè dixiſti. ATHENI. Omnes igitur non inſani verentur colúntque parentum ora-

Quando & quomodo filius accuſabit patrem.

De diuortio.

Vidua.

Liberorum numerus.

Preces parentum aduerſus liberos ſæpe audiri.

Parentes honorandi.

tiones, non ignorantes multis ſæpe profuiſſe obfuiſſéq;. Cùm hæc ita natura conſtituta ſint, probis quidem viris ſeniores parentes pro magno quæſtu habentur, ſi ad ſenium vſque peruenerint, ſin verò iuniores deceſſerint, valdè deſiderantur. Improbis autem contrà, valdè terribiles ſunt. Quapropter quilibet rationibus his inductus, parentes ſuos ſecundum legem honoret.

Parentũ cultus neglecti lex.

Siquis verò ſurdus ad hæc exordia ſit, hanc legem rectè ſtatutam audiat. Siquis in hac ciuitate minus quàm decet parẽtes colat, nec magis eos quàm filios nepoteſque & ſeipſum diligat, præ cæteris eorum voluntati in omnibus obſequens, qui ita negligitur per ſe vel per alium ad tres de legum cuſtodibus ſeniores rem deferat, & ad tres ſimiliter de connubiorum procuratoribus, qui re inueſtigata, in eos qui iniuriam intulerunt, animaduertat. In viros quidem ſi trigeſimum annum non exceſſerint, & in mulieres ſi quadrageſimum, vinculis atque verberibus. Si autem prouectiores ætate quàm diximus ſint, neque deſinant parentes negligere, imò eos etiam affligant, ad iudicium ire compellantur. Iudicent autem ciues, qui ætate cæteros omnes maximè antecedunt: & condemnatus ſoluat patiatúrue, quod à iudicio ſtatuetur, ita vt nihil prætermittatur, quod dare hominum aliquis patiue poſſit. Siquis verò cùm afflictus ſit, deferre non poteſt, quicunque liber audierit magiſtratibus nunciet, aut improbus habeatur, & à volente quolibet damni illati accuſetur. Si autem ſeruus detulerit, liber eſto. Quòd ſi affligentis vel afflicti ſeruus ſit, in libertatem a magiſtratibus vendicetur: ſin autem alicuius alterius ciuis ſeruus fuerit, pretium domino publicè perſoluatur. Curæ verò magiſtratibus ſit, ne quis ei qui detulerit, noceat. Quæ veneno aliis ab alio fiunt, lethalia quidem diuiſa ſunt. Cætera verò ſiue potu, ſiue cibo, ſiue inunctione ſponte & conſilio peragantur, nondum diſtinximus. Bipertitò enim generi humano venena officiunt. Primò enim, vt modò diximus, corporibus corpora ſecundum naturam læduntur: deinde magicis veneficiis & cantibus nodiſque quibuſdam perſuadetur, iis quidem qui officere ſtudent, poſſe id aſſequi, iis verò facilè admodum ab illis veneficio lædi poſſe. Hæc verò cæteráque huiuſmodi quo pacto natura ſe habeant, nec facilè ſciri poſſunt, nec ſiquis ſciat aliis perſuaderi. Sed animis hominum circa hæc ægrè ſuſpicioſéque inter ſe affectis, haud admodum dignum eſt conari perſuadere, vt ſi cerea ſimulachra ſiue in ianuis, ſiue in triuio, ſiue in monumentis parentum viderint, hæc omnino deſpiciant, cùm certam de his opinionem nullam habeant. Quare bipertitò legem de veneficio partientes, primum hortamur, monemus, atque conſulimus ne talia faciant: ne multos quaſi pueros terreant: nec legumlatorem & iudicem cogãt huiuſmodi hominum timori mederi. Quippe qui veneno nocere nititur, ſi croporibus id illaturus eſt, niſi medicinæ peritus ſit, quid agat, ignorat. Similiter qui magicis cantibus id tentat, niſi aruſpex, monſtrorúmque interpres ſit. Sed iam lex iſta de venenis huiuſmodi ſanciatur. Qui nõ ad mortem hominis, ſed pecorum, aut examinum, veneno vtitur, ſiue etiam vt aliter quàm morte beſtiis noceat, ſi medicus ſit, & veneficij reus fuerit iudicatus, morte ſupplicium luat: ſin verò medicinæ ignarus, iudicium quid pati daréue ipſum oporteat, conſtituat. Quando verò quis nodis, inductionibus, cantibus, ſimilibúſque veneficiis ad nocendum paratus depræhenſus eſt, ſi aruſpex aut prodigiorum interpres ſit, occidatur. Sin verò nõ fuerit, iudicium de ipſo ſimiliter quid dare patiue debeat, ſtatuat. Qui clam aut vi nocuit, magna reddat, ſi in magnis nocuit: minora, ſi in minoribus: & in omnibus tantum reddat, vt damnum exæquetur. Præterea in ſingulis iniuriis vt penitus moderatior fiat mulcta afficiatur: leuiore quidem, ſi propter iuuentutis imprudentiam, aliena malitia fuit impulſus: grauiore autem, ſi dementia ſua, aut immoderatis voluptatibus & doloribus, aut timore, aut inuidia aut iracundia inſanabili. Pœnis verò maligni vexãtur, non quia peccauerunt, nam quod factum eſt, infectum eſſe non poteſt: ſed vt poſthac & peccatores ipſi, & qui puniri iniquitates viderunt, iniuſtitiam oderint, aut ſaltem minus in ſimili vitio peccent. Quorum omnium gratia oportet vt ad hæc leges reſpiciant, & boni ſagittarij ſimiles ad hoc ſignum tendant, punitionis magnitudinem in ſingulis & quod dignum eſt, conſiderantes. Idipſum iudicem legumlatoris miniſtrum facere decet, cùm à lege ſibi committitur, vt ipſe ſtatuat, quid dare patiue damnatum oporteat. Qui ſanè nõ aliter quod reliquũ eſt, ſuperiora imitatus exequi debet, quàm pictor ita pingere vt exemplaria diligenter ſequatur. Quod nobis ô Clinia, Megilléque faciendum quàm pulcherrimè atque optimè cenſeo: & pœnas tam eorum quæ furto & clàm, quàm eorum quæ vi aguntur, quales eſſe oporteat, dicendum, prout dij nobis deorúmque filij leges ponere concedunt. Nemo furioſus palàm in vrbe cernatur: ſed furioſum propinqui, domi quomodocunq; poſſunt cuſtodiant. Quòd niſi fecerint, mulctentur: qui maximi cenſus ſunt, drachmis cẽtum, ſiue ſeruum, ſeu liberum minus diligenter cuſtodiant. Qui ſecundi, quatuor de quinque minæ partibus: qui tertij tribus: & duabus qui quarti. Multis autem modis homines furore aguntur. Alij morbo, vt hi de quibus modò diximus. Alij per iracundiam prauæ naturæ vitioſámque educationem, qui paruis inimicitiis moti altius inclamant, & turpiter inter ſe cõuiciantur. Nihil verò tale in ciuitate bonis legibus inſtituta fieri decet.

Conuicia prohibita.

De cõuicio igitur hæc vna omnibus lex ponatur. Nemo alicui conuicietur. Sed quicunque cum alio de re quapiam ambigit, diſcat potius doceátque tã ambigẽtem quàm præſentes, ita vi omni conuicio prorſus abſtineat. Cùm enim ſibi inuicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habentur: & in primis ex verbis, quæ certè leuiſſimæ res eſt, odia grauiſſima & inimicitiæ ſæpe naſcuntur. Profectò qui iræ rei penitus ingratæ morem gerit, ipſamq; quaſi alimentis quibuſdam noxiis explet, is quantum per diſciplinam anteà excultus fuerat, tãtum exacerbatus poſteà iracundam animæ partem, efferatúſque, difficilem ſibi viuendi reddit rationem, & hanc amaram ab ira gratiam ſuſcipit. Ex his penè omnes ad id deuenire ſolent, vt ridiculum aliquid in aduerſarium dicant: qua in re quicunque ſe aſſuefacit, aut bonos mores penitus, aut magnanimitatem maxima ex parte amittit. Quamobrem nemo in templo obiurgationibus his vnquam vtatur, nec vbi publica ſacrificia vel certamina peraguntur, nec in rerum venalium foro, nec in iudicio, aut alio quouis cœtu communi. Eum verò qui in hoc deliquerit, magiſtratus libertè puniat: quòd ſi non fecerit, quaſi legum proditor, præceptorúmque legiſlatoris ſpreter

nunquam

nunquam ab publici cuiuſquam muneris certamen quaſi de virtute certaturus aſcendat. Siquis autem aliis in locis maledicto vel prouocando, vel reſpondendo vtatur, quicunque ſenior acceſſerit, pro legum defenſione hunc verberet, & eos qui ira alij mala imprecantur comprima. Alioquin vt prædiximus, puniatur. Neminem præterea in his conuiciis dicacitatibúſque verſari arbitramur, qui non ſæpe ridiculosè aliquid obloquatur.

Dicteriorum lex.

Atque hoc ipſum eſt, quod damnamus, quando cum ira fit. Quid porrò? cõmicorúmne ſatyrorúmque ſales & ridiculoſa conuicia quibus aduerſus ciues vtuntur, ſi abſque ira ſic mordeant, admittemus? An id bifariam diſtinguemus, in iocoſam & ſeriam orationem: Et ioco quidem vt liceat ſic, vt riduculum abſque ira dicatur: Concitato verò per iram animo, nemini, vt antè diximus, tale quid dicere liceat? Hoc igitur nullo modo admittendum. Cui verò liceat, & cui non, lege iam declarandum. Poetæ comico vel iambicæ muſicæue melodiæ autori nec verbo, nec imagine, cuiquam ciuium detrahere liceat, ſiue id ira, ſiue abſque ira faciat. Et eum qui contrà fecerit, qui dandis præmiis præſunt, eodẽ in die exterminent: aliter tribus minis mulctentur, Deo in cuius honorem certatum fuerat, conſecrandis. Cæteris verò de quibus ſuprà diximus, ſine ira & cum ioco ridiculum aliquid dicere liceat: ſeriò autem & cum ira nequaquam. Cuius rei cognitio, communis iuuenum diſciplinæ curatori committatur. Et quod probauerit, proferre in medium licet: quod autem reprobauerit, hoc neque ipſe vlli vnquam oſtendat, neque alium ſiue ſeruum, ſiue liberum doceat. Si contrà fecerit, prauus legúmque cõtemptor habeatur.

Miſerabilis quis verè.

Miſerabilis autem, id eſt miſericordia dignus exiſtimandus eſt, non qui fame, vel re alia huiuſmodi premitur: ſed qui cùm temperans ſit, & virtute alia uel parte virtutis ſit præditus, calamitate tamen ad hæc aliqua fortè vexatur. Quare mirum profectò erit, ſi vir talis vſq; adeò neglectus fuerit, vt ſiue liber, ſeu ſeruus in ciuitate moderatè gubernata in extremam paupertatem deueniat. Idcircò non iniuria legiſlator talem de hac re legem tutò ponere poteſt. Nullus in ciuitate noſtra mendicus ſit. Quicunque verò id tentauerit, victúmque inexplebilibus precibus colligere cœperit, à rerum venalium curatoribus è foro pellatur, ab ædili magiſtratu & vrbe eiiciatur, ex tota denique regione ab agri magiſtratu exterminetur, vt ab eiuſmodi animali omnino vniuerſa regio mũda ſit. Si ſeruus vel ſerua alienæ rei offecerit ſiue imperitia, ſeu immoderato aliquo vſu id fecerit, nec qui damnum paſſus eſt, cauſam præbuerit, dominus eius aut ſatiſfaciat, aut ſeruum ſeruámue illi, qui damnum paſſus eſt tradat. Quòd ſi communi quadam nocentis patientiſq; aſtutia, vt ſeruus ſibi auferatur, ſerui dominus factum contendat, de militiæ crimine agat aduerſus eum, qui de ſeruo cõqueritur. Et ſi conuicerit, pretium ſerui à iudicio cõſtitutum à damnato duplicatũ accipiat. Sin autẽ cõuictus fuerit, & dãnum reſtituat, & ſeruum inſuper tradat. Si iumentum, aut equus, aut canis, aut domeſticum aliud animal proximi rem attriuerit, animalis dominus ſimiliter damnum reſtituat. Si quis ſponte teſtimonium ferre noluerit, citetur ab indigẽte, citatúſque tempore idoneo abſit, & teſtimonium prout ſciuerit, afferat. Sin neſcire dixerit, iureiurando tribus diis, Ioue, Apolline, Themide nominatis, neſcire ſe affirmet, ac abeat. Qui ad ferendũ teſtimoniũ citatus nõ venerit, damnum ei, qui citauit ſecundũ legẽ deponat. Si iudex aliquis in teſtimoniũ citatus fuerit, teſtimonio allato, nullam in eadem cauſa ſentẽtiam ferat. Mulieri liberæ ſi quadriginta annos exceſſerit tam ad teſtandum, quàm ad dicendum intereſſe iudicio liceat, imò verò & agendũ, ſi ſub viro non ſit. Viuẽte verò marito teſtimonium perhibere ſolummodo liceat. Seruo autem & ſeruæ & pueris de homicidio ſolùm dicere teſtariq; liceat, ſi idoneum fideiuſſorẽ dederint ſe vſque ad latam ſententiã permanſuros, ſi fortè falſi teſtimonij fuerint accuſati. Si quis falſi teſtimonij agere voluerit, quod & in toto & in parte teſtimonij & vtriſque aduerſariis licet, antequã ſententiam iudices ferãt, falſos fuiſſe teſtes obiiciat. Falſi verò teſtimonij criminationes ab vtriſq; illatas magiſtratus ipſi conſcriptas ſeruent, & ad iudiciũ poſtea de falſo teſtimonio referant. Si quis falsò teſtimoniũ bis dixiſſe inueniatur, à nulla lege tertiò teſtari cogatur. Si verò ter, nullo modo poſtea teſtimonium ipſi dicere liceat. Quòd ſi ter in falſitate depræhenſus, teſtari vlterius auſus fuerit, à volente quolibet ad magiſtratum deferatur, & à magiſtratu tradatur iudicio, & ſi conuictus fuerit, moriatur. Quando in lite, falſa teſtimonia interceſſerint, per quę aduerſarium ſuperaſſe videri quis potuerit, ſi plures quam medietas teſtium condemnati fuerint, iudicium ſecundũ illa nullum procedat. Diſceptare verò conuenit, vtrum ſecundum illa teſtimonia quicquam iudicatũ ſit néc ne, vt quomodocunque iudicatum fuerit, hoc pacto iuſtum lis finem conſequatur. Verùm cùm multa in vita hominũ bona ſunt, pluribus eorum, quaſi quædam diræ calamitates inſident, quæ maculant illa atq; coinquinant. Iudicialis autẽ diſceptatio iudiciúmque cur homini bonum non eſt, quod humana òmnia manſuefecit?

Aduerſus rabulas & corruptos auaritia cauſidicos.

Atqui cùm diſceptatio talis bonum ſit, cúr & adeſſe in lite alicui, & cauſæ iuſtæ fauere, bonum non ſit? Hæc cùm ita ſint, peruerſa calumnia bonum artis ſubit nomen, quæ artificium inueniſſe in litibus aſſerit, quo agenda & dicenda, ſiue honeſta, ſiue turpis ſit cauſa, ſuperare facile quis poſſit, victoréſque facere, quibus ipſa rationibus ſuis fauet, ſi pro artis ipſius beneficio pecunia dabitur. Hæc ſiue ars, ſiue artis expers exercitatio quædam ſit, dãda opera eſt ne in noſtra ciuitate aditũ habeat: ſed legum verita conditorẽ, nihil aduerſus leges proferat, & aliò profecta vires ſuas oſtendat. Siquis vero non pareat, hac lege deterreatur. Siquis iuſtitiæ vires in animis iudicum in contrarium vertere conetur, ac præter opportunitatem multa litigia mouet, aut mouẽtibus adeſt, agat in eum quicunque voluerit, malè agendi aut denique defendendi crimine, iudiciúmque huiuſmodi apud electos iudices agitetur. Et ſi damnatus fuerit, diſcutiatur vtrum auaritia, an ambitioſa quadam contentione id fecerit. Ac ſi cõtentione, certum ipſi iudices tempus præſcribant, in quo neque pro ſe, neque pro alio vllam agat dicátue cauſam. Sin autẽ auaritia, peregrinus quidem à regione, nunquam rediturus abito, & ſi redierit, moriturus. Ciuis autem ſi auaritia feciſſe id depræhẽdatur, quoniam pecuniam tãti fecerit, omnino moriatur. Quòd ſi ambitioſa cõtentione bis tale quid feciſſe iudicatus fuerit, idipſum ſupplicium ſubeat.